



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Tribunal Poenitentiae Sev Libri Dvo Prior De Poenitente Ut Reo Posterior De Confessario Ut Judice

Stoz, Matthäus

Anno M.DC.LXXXIX.

De Circumstantia Quibus auxiliis?

urn:nbn:de:hbz:466:1-37144

qualitas est, quod locus sit sacer, vel profanus, publicus vel non.

De circumstantia Quibus auxiliis ?

43. Significat hæc partim instrumenta propriè dicta, quibus homo ad peccandum utitur, ut sunt gladius, sclopetum, aut alia arma, quibus ad homicidium committendum uteris; partim media (sive de in ea sint res sacræ, ut Sacramenta, reliquiæ Sanctorum &c. sive non, sive etiam aliàs jam vetitæ, sive non) quibus ad intenti finis consecutionem uteris, ut, si furetis ad faciendam eleemosynam; mentiaris ad tuam vel alienam vitam conservandam; ores, confitearis ad captandam vanam gloriam; rem sacræ adhibeas ad homicidium, vel quodcunque aliud peccatum perpetrandum &c. Ad hanc circumstantiam pertinet auxilium & interventus aliarum rerum animatarum, præcipuè hominum, quorum operam ad finem malum quæsisisti, eosque proinde ad operis societatem, vel iussu, vel suasu, vel consilio sollicitasti.

De circumstantia Cur ?

44. Huc propriè loquendo non spectant aliæ peccatorum causæ, sed sola finalis, quæ ex parte intellectus movet, & suggerit rationem seu motivum, quo possumus respondere interroganti, cur hoc aut illud fecerimus. Nomine autem hoc non intelligitur finis intrinsecus, ipsius operis, sed extrinsecus, id est, is, in quem actus seu opus refertur non ex se, sed ex intentione ipsius operantis: quisque enim ex suo arbitrio potest sibi sui operis alium finem præstituire, præter illum, qui in

ipso opere reperitur: ut, si det eleemosynam, non tantum quia alienam miseriam sublevat (qui est ipsius operis intrinsecus finis) sed propter vanam gloriam: hic enim finis extrinsecus est respectu eleemosynæ, utpote cui nimis accidentale est, ad hunc vel illum finem ab operante referri. sic enim furti finis potest esse ebrietas, cum quis nimirum furatur, ut inebriari possit: nec enim furtum aliter ordinatur ad ebrietatem, quam quia per illud hanc aliquis intendit. Similiter studium vel lusus finis esse potest ommissionis facti, ex præcepto audiendi; cum nempe quis omittit sacrum, ut studiis vel lusu operam dare queat; non enim ommissio ista ad studium refertur, nisi ex ipsius operantis voluntate. Sic ex intentione quandoque etiam ipsa facti auditio, cum ad finem malum ordinatur, v. g. ut turpi alloquio vel aspectu frui, quis possit, viatiatur.

De circumstantia Quomodo ?

45. Significat hæc modum operis, non substantialem, qui videlicet ad substantiam actionis aliqua ex parte spectat, qualis est violentia, sed accidentalem tantum, seu cum actu ipso per se non conjunctum. Huc spectat intensio aut remissio actus; item an ex scientia, vel malitia, an ex ignorantia vel passione metu vel dolo, clam vel apertè aliquid fiat. Ad eundem peccandi modum spectat etiam, an quis peccarit ex consuetudine: an dum exercuit actum turpem, ac venereum gestaverit reliquias Sanctorum ex collospensas, &c.

De